





1681-1783

- Eberles de colica infantum. 1783.  
Edel de vomitu cruento. 1742.  
Ehrhardt de cicuta. 1763.  
Ehrmann de lumino. 1733.  
Ehrmann de foeniculo. 1732.  
Ehrmann de hydrargyro. 1761.  
Elvert de millepedis. 1711.  
Embsen de metastasi lactea. 1781.  
Engelhard de parte difficili. 1719.  
1. Engelmann de melancholia. 1764.  
2. Ehrhardt de sudore nimio. 1749.  
3. Ernan de amaurosi. 1764.  
4. Esinger de phtisi pulmonali. 1783.  
5. Euler de mesenterio. 1714.  
6. Eysenschmid de serofulis. 1681.  
7. Eyfling de consolidatione vulnorum. 1770.

7 a. S. 13-10 gehören nicht zu diesen Diss.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**COLICA INFANTUM**

QUAM  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
CONSENSU  
*PRO LICENTIA*  
GRADUM MEDICINÆ DOCTORIS

RITE CONSEQUENDI  
IN ALMA ARGENTINENSIVM UNIVERSITATE  
DIE XXIII. DECEMBRIS A. R. S. MDCCLXXXIII.  
SOLEMNITER DEFENDET  
MARTINUS THADÆUS EBERLE  
AUGUSTANUS.

H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI , ex Officina Heitziana.



PARENTIBUS

ET

AMICIS

SACRUM.





## PRÆFATIO.

**S**ingulæ, quæ vitæ humanæ periodum variant, ætates variam inter se admittunt sanitatis differentiam; priva cuique est ad morbos proclivitas, qua horum idcirco incurfui minus resistere potest. Alias enim prima, juvenilis, alias constans, & decrescens subit ætas mutationes, cum in humoribus, tum partibus firmis, uti viribus quoque motricibus; quibus si addas multiplices, queis homo per vitæ munia exponitur, rerum externarum potentias, quæ suas in eundem ob diatheses & communes & proprias vires exferere valent; perspectu haud est difficile, non imparem modo esse, quibusdam noxis superandis, sed primum quoque in nonnullas ruere. Quæ omnia generali utcunque sensu prolata, cum durationem hominis inde ab ortu ad obitum usque complectantur, de ætate tamen infantili maxime intellecta velim: Etenim singularem Medici attentionem sibi vindicare eam, vel ex eo arguas, quod præter semina naturalia, & priorum multis ac gravibus, quin etiam morbofis nonnunquam laboret, queis ocuus, ferius, ob maximas, quas a partu subit, mutationes, ob diversam rerum non naturalium accessionem, & vires adhuc debiles, facile opprimendas, morbis, vel præmatura morte affligitur. Loquuntur & hæc quotidiana observatio, diaria, catalogi studiose consignati, imo magnam illico natorum partem & dimidiam fere continuo perire. Triste hoc temellorum fatum, non momentanea egens contemplatione,



§. IV.

Ut autem ulterius suæ conservationi intentam rime-  
mur naturam, lustrante ejus tramitem oculo, ipsa pro-  
sequatur, oportet. Paulo ante, a resecto umbilicali fu-  
niculo, ablatoque hinc cum matre commercio, non leve  
perpessus est infans periculum e), nullam nunc accipit ali-  
moniam, & tamen corpusculum perpetuo in motu con-  
stitutum indefinenter de sua substantia quid perdit, quod  
jugiter, ne in ipso vitæ principio rursus decedat, relar-  
ciendum esse, quis est, qui ignoret? Dolore, qui fames  
vocatur, a sensilium nervorum f) vellicatione nato im-  
pulsus, contendit eum quoquomodo abigere; vagitus  
ac gemitus sensum inquietantem sufficienter declarat;  
ipse nonnunquam infans etiam signis g) postulat auxi-  
lium, quo se adversus urgentem muniat famem: his suo  
admonita mater officio ducemque naturam secutura avide  
appetenti sua porrigit ubera, quæ jamjam turgent, non  
lacte quidem crasso, spissulove, sed diluto, feroso, te-  
nuisque liquore, viribus digestionis nondum assuetis pro-  
vide accommodato, quem capere novit, a nemine do-  
ctus h) & fugit infans & alitur, proprio colostri nomine  
ditato, eum proinde quoque in finem, ut tenaces me-  
conii reliquæ, a naturæ moliminibus nondum profus  
superatæ, laxata etiam tenelli alvo expurgentur, summa  
cum ejusdem utilitate i).

e) HALLER *prim. lin. phys.* §. 930.

f) Idem *Elem. phys.* tom. VI. §. XII. pag. 184. "sed etiam, ait,  
nervorum sensibilitas famem facit majorem."

g) *Vorschläge an Mütter* — aus dem Franzöf. übersezt auf Ver-  
anstellung des Straßburgischen Hauses, von J. F. S. Seite 156.  
liest man folgendes: mein Kind sog an seinen Fingern, so bald  
es kaum gereinigt gewesen. —

h) VAN SWIETEN l. cit. §. 1342.

i) BALLEXSERT. *welches sind die Ursachen, daß so viele Kin-  
der sterben.* Seite 32. & HALLER *prim. lin. phys.* §. 935.



Tali naturæ incessu, cum deterfæ sunt primæ viæ, cum tenui alimento non gravatæ, digerendo aliquantum affuetæ fuere; nunc triduo a partu, quatrinduo, spifulum, dulce lac, magisque nutriens in puerperæ mammis colligitur *k*), ita, ut semper respondeat incrementi corporis robori, vegetioribus vitæ actionibus, majori per easdem redditæ jacturæ reparandæ. Quid ergo magis utile, quid magis congruum tenello, quam ut propriæ matris lacte nutriatur, cum jam in utero a maternis humoribus nutrimentum habuit & incrementum? quid non metuendum, quando infanti recens nato aliena porrigitur alimonia, cum etiam in adultis & fanis hominibus subita in victu mutatio haud exiguum infert periculum? nec possum perspicere, quomodo suam causam defendent illæ, quæ suæ proli denegant ubera, modo sint capaces ad simplex quadrupedum genus respiciendi, cui æque mammas datas esse viderent, tanto plures numero, quanto numerosiores fætus parere solent, ut singulis, simulac nati, præsto foret alimentum; hanc modo secutæ facem, nusquam *l*) offenderent tam graves malorum ærumnas, quæ & se ipsas & suas excruciant proles, quibus spernentes nutum naturæ matres ab eadem ipsa puniri nonnunquam videntur; id quod validi dolores, inflammationes, suppuraciones, vel indurationes mammarum, reliquaque mala manifeste declarant.

*k*) Idem l. c. §. 932.

*l*) *Vorschläge an Mütter l. c. Seite 28. liest man: die Weibsen unter den Thieren stehen alle diese Schmerzen nicht aus, — diese Jungen bleiben bey ihren Müttern, und saugen an ihnen fast so früh, als sie auf der Welt sind. Die Mutter leßt sie ganz natürlich fort machen, und alles bleibt in gutem Zustand.*

§. VI.

Porro lac maternum, spissulum, tenueve in ventriculum tenelli receptum, mediocri ibidem fotum calore, & vel sponte in sua discedit principia; at viscerum chylopoieticorum viribus, nisi forte ab illis oleis unguinosi, quæ alias non raro nutricis, custodisve ruditate infantibus ingeruntur, labefactatæ fuerint, naturale istud coagululum, & vel acefcentia haud difficulter superantur: & quidem vel me tacente intelliges, modo perpendas copiam liquorum chylopoieticorum, cum infantibus totum corpus molle, humidum, & succo plenum est *m*); salivæ, quam una sugendo deglutire solent, cui alias celeberr. HOFFMANNUS *n*) vim digerentem haud mediocrem statuit; modo perpendas quantitatem bilis, quæ in recens natis, uti §. 3. annotatum fuit, æque larga in copia invenitur, ejusque indolem satis notam, qua intestina ad vegetiorem contractionem sollicitat, qua cum coagulo lactis trita, idem intime dissolvit *o*), utilia cum humoribus inquilinis miscet, qua acefcentiæ ejus adeo promptæ resistere conatur, ut ergo non adeo reformidandum sit naturale lactis coagululum; ut male ergo lac pro alimento recens natis minus congruo reputetur, maleque actum, alium potius victum suasisse *p*), cum nulla ars ingerendis

*m*) VAN SWIETEN tom. IV. §. 1344. p. 658.

*n*) Oper. omn. tom. I. cap. IV. §. 6. dicit: "salivalis latex est menstruum microcosmicum universale, quo alimenta omnis generis recluduntur, & est — indolis subtilis, penetrantis, fermentescibilis & solventis. —"

*o*) HALLER. *Elem. phys.* tom. VII. pag. 74.

*p*) VAN SWIETEN §. 1354. pag. 666. adjicit seq. "verum si adeo languidæ fuerint viscerum chylopoieticorum vires, ut lac in materno corpore jam paratum & subactum digerere nequeant, an sperari poterit posse subigi alia ingesta, quæ a sanorum humo-

ingerendis aliis cibis præviam talem mutationem inducere possit; neminem denique, dictis his recte perpen-  
sis, latere potest, naturale esse institutum, ut infantes neonati lacte materno nutriantur; ut soli exinde naturæ duci relinquuntur, hacque ratione majus quoque robur acquisiti, plurimis, quæ teneram ætatem minantur, mor-  
bis profligandis, dentibusque sensim enatis aliis cibis, qui majori digestionis indigent molimine, assumendis, inque suos convertendis usus pares reddantur.

§. VII.

Prælibatis nunc, quæ circa primam tenellorum æta-  
tem de primæ digestionis officina quoad statum sanum erant dicendæ, functionibus, instituti quoque ratio po-  
fcit, ut, quæ ex læsa ejusdem, maleque affecta obser-  
vantur, phænomena exponam, ac præcipuum quidem hujus ætatis symptoma, quippe colicam.

§. VIII.

Quæ infantes igitur recensnatos frequentat, colica,  
erit dolor ventris vehemens, subitaneo, frequentius re-  
currente, aut non durabili ejulatu, pervigilio, ac repe-  
tita corpusculi contractione comitatus.

§. IX.

Cum vero symptomata & rationem definitionis sta-  
biliant, & morbi naturam dilucident, ansamque præ-  
beant commodam, quid de ejus causâ dicendum sit; hæc  
ideo ejusdem descriptioni juvat præmittere. Morbus  
quoque pro varia illorum vehementia, aut fyndrome,

---

rum indole magis remota sunt, quam ipsum lac? certe vix hoc  
verosimile videtur."

B

qua stipatur, diversos utique agnoscit gradus, majores hinc minoresve, ut in sequentibus patebit.

Morbum itaque in procinctu esse, indicant repetita ex somno expergiscencia, levior ejulatus ac gemitus ipsius comites, qui nutricibus minus attentis pro fame tenellos urgente non raro imponunt, cum stimulus nervis digestionis canalibus fibrillis applicatus totum mentem inquietat; hinc in ipsorum vultu signa non hilaritatis, sed sensus inquietantis conspiciuntur, solito frequentius nunc mammam arripiunt, avidius plerumque & ultra satietatem fugunt, levis jam ipsos invadit horripilatio, cui accedit per pallidam cutis superficiem, anserina, quam utique acri, de qua natura intus angitur, vario tribuas, vasculisque nunc exhalantibus per spasmos subcutaneos ab intus propagatos constrictis, retropulsis exinde humoribus, largius contingit urinae profluvium *q*); flatus hinc inde obmurmurant, faeces quidem naturali adhuc ipsis colore ano exeunt, sed per breve temporis spatium in linteis relictae ad viridem vergunt colorem, & vel grumi caseosi faecibus jam commixti apparent.

§. X.

Hujus autem praesentiam characterizant inquietudo summa, vagitus frequentes quidem, at subito, ac vehementia quadam editi, pervigilium, corpusculum missi saepe contrahunt *r*) & varias in partes volutant, ipse venter evadit quodammodo elatior, valdeque fen-

*q*) ROSEN VON ROSENSTEIN Anweisung zur Kenntniß und Kur der Kinderkrankh. cum notis MURRAY. Seite 40. dicit: laßt das Kind mehr als gewöhnlich Wasser, so, daß es, wie man zu reden pflegt, bis unter die Arme naß ist, so sehet ein Keiffen bevor.

*r*) VOGEL. de cognosc. & curand. vent. pars II. p. 39.

filis, ut contactum etiam levem lægre ferant, pedibus calcitrant perpetuo s), ubera justo sæpius prehensa mox iterum derelinquunt, cum lac minus commode & absque doloris augmento sugere nequeant; modo propius ad eosdem accedas, nares ab acido, acri odore fortiter percelluntur, quem vel anima spirat, aut ructus procreant, aut fæces emissæ, quæ jam viridem induerunt colorem, & quandoque tam profundum, ut æruginis instar lintea tingantur maculis vix delendis t) & plerumque lac maternum minus bene concoctum in multis grumis caseosis pituitæ viridescenti ad mixtum conspicitur u), quæque modo recensita symptomata pro signis pathognomonicis jure reputentur.

S. XI.

Adolescenti festinanter malo supervenire consuevit diversæ, nec fausti ominis noxæ, oblustantes quidem irritatæ naturæ vires quodammodo ostendentes, quædam tamen non raro teneræ ætati perniciem accelerant: Etenim nervæ primæ digestionis officinæ fibrillæ, eademque tenerrimæ, ab acri lacessitæ motus spasmodicos excitant, quaquaversum per corpus propagant, ut adeo exinde haud difficulter explicandæ sint nausæ, conatus vomendi, quibus aliquid non raro liquidi, acris, colorati, per guttur expellere cœpit natura, quo sub nixu acidum acre ad superius ventriculi orificium adpellitur, ut inde molesta cardialgia sequatur; presso autem pede sequuntur & ipsi vomitus, quibus acria acida, coagulati lactis particulæ, aliaque corrupta ibidem stabulantia magno impetu ejiciuntur: sympathiam utique nervo-

s) VAN SWIETEN l. c.

t) Aut. cit. & ROSEN. loc. cit.

u) VOGEL l. c.



rum, qua tales nixus spasmodici per partes quoquomodo consentientes, tam vicinas, quam remotiores distribuuntur, ad alia æque crebra symptomata excitanda haud parum momenti afferre satis constat, unde deducas palpitationem cordis *w*), tusses, sternutationes, singultus, atque intolerabiles anxietates, quas ab illustri SWIETENIO observatas, ab eo ipso, promiscue quidem allegatas, suo in loco licet offendere *x*).

Ad ipsius autem morbi acmen constituendam accedunt macies totius corporis, abdomen prominulum, hypochondria tumida, alvus suppressa, in aliis colliquans diarrhœa, aut gangrænescens tandem viscerum tabus *y*), per alvum fluit, insequitur ingens virium dispendium, apparent jam meticulosi aspectus versus custodes suas, apparent miræ rotationes bulborum oculi, quas & sub palpebris clausis conspiciere datur; redeunte autem dolore quasi territi subsiliunt; simul quoque livescit facies, mucosa in ore materies, spuma ante idem & ad labia colligitur *z*), utramque maxillam nunc ad se invicem adprimunt, & ubivis denique convulsiones jamjam regnare conspiciuntur.

§. XII.

Potiora, quæ hunc morbum concomitantur, symptomata recensuimus. Ad causarum jam disquisitionem progrediamur, quas more pathologorum in proximam & remotam, hanc iterum in prædisponentem & occasionalem dividamus. Ex remotis vero causis prædisponentes

*w*) GAUBII *Instit. pathol.* §. 777.

*x*) *Comment.* in aphor. BOERHAV. §. 1348. & 1355.

*y*) *Aut. cit.* l. cit.

*z*) Quod signum plures matres non ignorant, mox ex eo concludentes ad convulsionum præsentiam.

præprimis in prima digestionis officina quærendæ; veluti nimia ipsius ob delicatam fibrarum teneritudinem a) irritabilitas, qua teneri infantes nimis sensibili nervorum systemate præditi, huic morbo admodum obnoxii redduntur; cum hac ratione, etiam leviores causæ, levioribus pronatis stimulis, illius tenorem perturbare possunt; uti & hujus officinæ languor, quo contenta, vel ingesta nimis tarde elaborantur, feroque nimis tempore iterum expelluntur, ut adeo mora concedatur stabulanti ibidem materiæ, qua data potis est suam contrahere corruptionem, ac in legitimam pro sua indole acrimoniam declinare; vel ejusdem, si mavis, debilitas b), qua contenta non rite, suoque, ut decet, modo subiguntur, ac certa quadam impotentia diutius in corpore retentis, idem, quod dictum, contingere debet. Universus cæterum corporis habitus huic morbo prognerando non levem suppeditare ansam valet, qui in infantibus adeo mollis, tener, rarus c), imo sensilissimus d) existit, sive nunc

- a) FRID. HOFFMANN. Op. omn. tom. I. L. II. cap. XII. §. IX. pag. 139. "eorum, ait. teneritudo inde perspicua evadit, quum a lacte matris, quæ pridie purgans assumit, alvum frequenter dejiciant."
- b) ROSENSTEIN l. c. sect. X. pag. 69. ita loquitur: *dass ein Kind ohne der Amme Schuld vom Reissen geplagt seyn könne, sahe ich neulich, als 2 Kinder eine und dieselbe Amme sahen; keines von beyden genoss mehr Milch, als es von Næthen hatte; das sterckere befand sich gut, das schwache aber hatte ein beständiges Reissen und grüne Excrementen, und befand sich mehrentheils übel, ob ihm gleich hernach eine eigene Amme gegeben wurde.*
- c) HOFFMANN. l. c. pars III. §. XV. "infantibus, inquit, qui infesti sunt morbis, modo ab universo corpore, laxo, raro, molli ac debili, modo ab imbecillitate capitis & systematis nervorum dependet. —"
- d) ROSEN. l. c. pag. 63. his confirmat: *die Kinder haben sehr empfindliche, oder leicht bewegliche Nerven; diese sind auch in Verhältniß gegen den Körper weit gräser bey ihnen, als bey*

debilis hæc constitutio sit congenita, vel hæreditaria e), vel post nativitatem acquisita, dum matres aliunde neonati corpus calida frequenter aqua, ut ita dicam, macerant, linteis, fasciis, studiose involvunt, pulvinaribus adhuc obruunt, ut adeo hac perversa tractandi ratione, in continuo vaporis balneo, corpusculum molle detentum, adhuc magis tenerescat f), ac ad quasvis rerum non naturalium impressiones recipiendas, fovendasque disponatur.

Inter potentias nocentes, tanquam causas procatarticas, seu occasionales referri utique meretur meconium, cui ad dolorem colicum excitandum mira est efficacia, id quod & plurima & fere quotidiana tristia exempla confirmant g): agit autem sua acrimonia, quam sibi pro vario corruptionis gradu contrahit, prout nempe data mora, aëreque jam appulso, in acrem putridamque indolem magis inclinaverit; interdum molesta glutinositate, vel piceâ tenacitate adhæret intestinorum lateribus, ut omnis ejus quantitas admodum difficulter a neonato expelli possit; atque hinc quædam pars jam quodammodo

*erwachsenen, und da die Kinder mit vielen Säften versehen sind, so sind die Nerven bey ihnen ungleich weicher. Sie sind überdem mit sehr dünnen Heuten bedeckt, und besitzen folglich eine stärkere Empfindung.*

- e) FRID. HOFFMANN l. c. cap. XII. §. X. "animadvertimus enim, inquit, infantilia corpora habito ad vires partiumque texturam respectu longis invicem distare intervallis: qui enim ex fanis ac robustis parentibus prognati sunt, ut sunt homines plebeji, rustici, operarii non facile a noxia quadam re læsionem sentiunt, nec adeo frequenter morboris afflictionibus tentantur, qui vero infantes sati sunt a parentibus imbecillioribus, in adolescentia vel senio constitutis, valetudinariis, — — ii longe magis morborum injuriis patent, & levissimam quoque læsionem ægre ferunt"
- f) Hac de re conf. TISSOT *Anweisung für das Landvolck. Seite 352.*
- g) VAN SWIETEN l. c. §. 1345. pag. 659.



alterata tanquam fomes in corpore remanet, quo lac nutriticis infanti porrectum celerrime corrumpitur, perque id etiam meconii reliquiae eo majorem subeunt acrimoniam, ut tali modo duplex nunc morbi, malorumque origo *h*), derivanda esse videatur. Lactis dein coagulatum, licet naturaliter in primis viis contingat, morbosum tamen omnino pronuntiatur, si nimis cito, fortiterque eveniat *i*); huc vero contribuit sera nimis a partu ad ubera applicatio *k*), qua lac in mammis collectum per moram jam in iisdem degenerare molitur, ut adeo in ventriculum tenelli receptum citissime coaguletur, acescat, & acore semel nato, quidquid de lacte ulterius capit, statim conpingatur in massam gravem, acremque. Porro cum satis constat, quod lac sit chylus ex alimentis a nutrice ingestis prolectus, hinc si largius utitur alimentis acidis, vel in acescentiam pronis, nullus dubito, quin & chylus hanc necessario induens naturam, per actionem viscerum, vasorumque, per reiteratum unacum humoribus circuitum in lac mutatus, etiam tanquam lac eam indolem quodammodo retineat *l*): & quidem maxime, si nutrix inerti torpeat otio, quo circuitus humorum admodum vacillans eundem eo minus immutare valet; ergo lac jam in acidam vergens naturam, in ventriculum tenelli receptum eo quoque citius acescet, quo minus subactum est, in coagulatum firmiter, majoremque acrimoniam abibit; id quod & stabilire videtur, quum nutrix brevi a partu tempore ubera praebet,

*h*) TISSOT. l. c. pag. 345.

*i*) Aut. ante hunc citat. §. 1334.

*k*) *Vorschläge an Mütter aus dem Französ. Seite 29.*

*l*) ROSENSTEIN. sect. VII. pag. 44. inquit: *bey Kindern auf dem Lande kommt das Reißen sehr oft, vorzüglich des Sommers, wenn die meiste Nahrung der Mutter in saurer Milch besteht, vor; sehr viele, büßten dadurch das Leben ein.*

quo infans fere semper colica infestari solet *m*): huc etiam suam conferunt symbolam validus cunarum motus, quo lactis, etiam optimæ notæ, coagulatio augetur & acceleratur *n*); lac proinde nimis crassum, concoctricibus neonati viribus utique superius; aut nimis copiosum, quam nutrices, quandocunque ejulat infans, eum pacaturæ uberibus admovent, parum sollicitæ, annon sublit alia præter famem, qua ad vagitus impelli possit, causa; ita oneratus demum lacte ventriculus idem nequit subigere, quod sponte dein degenerans acrimoniæ sibi consciscit moræ respondentem. Nec reticenda est puls farinacea, qua infantum primæ viæ adeo gravantur, atque labefactantur, cum ob suam viscositatem revera indomabile sit infantibus nutrimentum, ac exinde in acidam declinans naturam maximi omnino sit momenti, in morbo, de quo agimus, producendo *o*). Bilis denique vel quantitate peccans, vel qualitate, qua aut nimis iners, minorive copia, adversus subortum militat acorem, coagula, partesve viscidas resolvit; ipsa dein quoque ab acore victa corrosivam & propemodum virulentam *p*) induens naturam in culpa esse potest.

§. XIII.

---

*m*) Idem l. c. pag. 16. his affirmat: *es ist nicht rathsam, dass die Amme sogleich nach dem Essen das Kind stillt; denn sodann wird die Milch zu geschwinde sauer, und erwecket ein Reissen.*

*n*) VAN SWIETEN l. c.

*o*) BALLEKSERD. *welches sind die Ursachen* &c. pag. 81. & ZIMMERMANN. *von der Erfahrung* pag. 521. præter plurima atrocia symptomata, a pulve farinacea orta. ab ipso observata & allegata adhuc adjicit sequent. *woher kommt es hauptsächlich, dass in London unter fünf und zwanzig tausend Todten jetzt jährlich acht tausend Kinder sich befinden, die an Convulsionen sterben, als eben von der überfüßigen Nahrung, mit welcher man den Magen und die Darne der Kinder verkittet.*

*p*) HOFFMANN tom. I. pars I. cap. 2. §. 19. pag. 248.



§. XIII.

Proxima igitur hujus affectus causa erit irritatio plus minusve violenta, in quacunq[ue] perquam sensilium intestinorum parte, ab acrimonia præprimis acida fuscitata; ita, ut, si a meconio pendet, effectus inde emanans dicitur colica meconialis; colica autem lactentium, si lac alteratum, pultesve eam ingenerarunt, habito ad tempus respectu facile eruenda q).

§. XIV.

Hujus vero eventum, omnino diversum, præagire arduum quidem quodammodo videtur; verum quo gravior causa, quo vehementior est irritatio, eo atrocior effectus, funestiorque ut plurimum eventus deprehenditur. Dolor enim vires tenellorum facile opprimit atque consumit, ut brevi eorundem fatum subsequatur r). Spem recuperandæ integræ salutis promittit firmior infantis constitutio, non adeo sensilis, ætate proveciore, minor mali gradus; si ab ipsis morbi incunabulis congruam adhibueris medicationem, utique non desperes: sin autem, ut plerumque fieri assolet, malo recenti non festinanter succurritur, ingravescenti accedentes convulsiones non raro exitium inferunt, sub rhoncho ac profunda dormitione prægressa s). Cavendum quoque, quod si infans una alterave vice convulsionum invasionem absque letho expertus fuerit, ne ex alto somno expergiscens belle

q) SEAUVAGE *nosolog. method.* tom. II. pag. 106.

r) VAN SWIETEN. §. 1345. "quotidianæ, inquit, observationes docent, plures infantes ab hac sola causa perire in ipso vitæ limine.

s) TISSOT. *Anweisung für das Landvolk* Seite 344. & ROSENSTEIN. pag. 66.

se habere, ac in vado res ejus credantur, quando idem in procinctu est. Nec desunt observationes, ipsum emprosthotonum, etiam opisthotonum quandoque, male ut plurimum fidere subsecutum fuisse *t*), imo epilepsiam, quam vocant infantilem, inde suos natales trahere, qua dein, si etiam priora superaverint, non raro e vita abripiuntur, aut variis saltem noxis, malæ corporis conformationi, sensuum quorundam abolitionibus obnoxii redduntur *u*).

Nonnunquam a cruditatibus necessario enatis glandulæ mesenterii obstruuntur, abdomen insigniter intumescit, toto hinc corpore redduntur emaciatissimi, sensim cachexia humoribus ingeneratur, quæ tanquam fæcunda morborum generatrix, & sequentis suo tempore rachitidis consideranda meretur *w*). Non raro intestinorum oritur inflammatio, quæ brevi in gangrænam tendit, quæque eo magis metuenda, quando tarda diu moratur alvus, aut colliquans diarrhæa infestat, qua gangrænescentium viscerum tabus per alvum egreditur, vires adhuc reliquæ collabuntur, & mors his malis finem imponit *x*).

*t*) ZIMMERMANN. *von der Erfahrung* pag. 519. & aut. ante citat. in notis MURRAY. legitur: *diese ist um so viel fürchterlicher, weil sie fast niemals eine weitere Hilfe versattet.*

*u*) VAN SWIETEN. §. 1354. "insultus porro, ait, epileptici hinc plerumque originem ducunt, irritato genere nervoso — qui non tantum ob instans mortis periculum metuendi sunt, verum etiam quia licet evaserint infantes, sæpe tristissima mala per totam vitam supersunt, membra distorta, surditatem, loquelam perditam, fatuitatem perpetuam, funestas convulsionum sequelas fuisse, docent numerosa observata. Confer. quoque circa hæc HOFFMANN. tom. I. cap. XVII. §. 26. pag. 402.

*w*) ZIMMERMANN *von der Erfahrung* pag. 522.

*x*) VAN SWIETEN. §. 1355. pag. 681. & HOFFMANN I. c. dicit: "quin etiam in his intestina, e quibus non raro, antequam exspirant, nigra excrementa secedant, sphacelata in dissectionibus reperiantur. —"

Sæpius vero impuritates memoratæ, universæ humorum massæ commixtæ, validiori naturæ robore ad partes capitis externas propelluntur; unde capitis exulcerationes, achores, crusta lactea. aphtæ oris admodum frequentes y), aurium quoque & oculorum fluxiones, glandularum præsertim in collo sitarum tumores exinde contingunt; interdum quoque ad habitum corporis, ad ipsius quoque pedes falsæ impuritates delatæ, suo quovis tempore, varias pustularum, macularum, exanthematum species producent z).

## §. XV.

Nunc demum, ut ad medelam me accingam, bonæ frugis norma exigit; quæ ut ex voto subjungatur, ad diversas, quæ hunc affectum excitare valent, causas, in præmissis enumeratas, sedulo respiciam necesse est. Cum a meconii vel picea tenacitate, ut supra relatum est, nonnunquam oriatur, qua pertinaci sua adhæsione præter plura incommoda etiam nixus desidendi in teneris excitat, ut tamen plerumque incassum ad idem expellendum se fatigent; eam tenacitatem imminuere, indicatio suadet. Ipsa natura nobis hanc monstrat viam; matris enim ubera primis diebus, uti notum, tenui, seroso, turgent liquore, qui recens natis concessus meconii tenacitatem vi ejus diluente minuit, lenique sua vi purgante de corpore evocat; memoratæ quoque difficultates ut plurimum in iis animadvertuntur, quibus tale serosum lac denegatur. Verum curiosa naturæ imitatio talia hinc profligat incommoda; serum lactis volo suo utcunque modo paratum, id enim a colostro humano, quam proxime abesse nemo ibit inficias, suaque vi saponacea, diluente,

y) BALLEXSERT. *welches sind die Ursachen &c. Seite 115.*

z) Conf. HOFFMANN l. c. pars III. cap. I. §. 16. in schol.

viribusque alvum leniter ducendi *a)* hic præprimis con-  
 ducet, ita, ut repetita vice pauxillum feri lactis, melle  
 edulcorati recens natis ingeratur, quodque etiam luben-  
 tes assumunt; simul quoque ut eo certior, maturiorque  
 effectus obtineatur, clysmata ex eò confecta, paucò etiam  
 melle, pauculoque saponè veneto acuata administrentur,  
 idque ideo, quum meconium præcipue in crassis intesti-  
 nis collectum hæreat, & sic absque notabili difficultate  
 per proximam viam elui possit, adhibita semper cautela,  
 ut uncia vel sesquiuncia duntaxat talis feri lactis injicia-  
 tur, & leni vi quidem, ne tenera intestina moleste affi-  
 ciantur, ac tutius esse cum illustri SWIETENIO statuas *b)*,  
 repetere tale clysmata, si opus fuerit, quam simul & semel  
 majorem copiam adhibere.

Imò hæc methodus ejus etiam acrimoniæ mederi  
 valet, qua blande materies nociva ex corpore eliminatur;  
 verum cum primæ recens natorum viæ, a doloribus diu-  
 turnis, inde excitatis, fuerunt debilitatæ, aut etiam ni-  
 mis languidæ redditæ, hinc commendantur maxime ec-  
 coprotica, quæ vi, qua gaudent, saponacea, hæteroge-  
 nea ibidem hærentia, dissolvunt, attenuant, lenique sti-  
 mulo canalem cibarium sollicitatum evacuare nituntur;  
 uti sunt cassiæ fistulæ pulpa, manna; aut etiam syrupsus  
 cichorei cum rheo, anima rhei, quæ præter lenem sti-  
 mulum etiam aliquid roboris primis viis conciliare non  
 immerito judicantur, ast parca semper manu per vices  
 exhibita. Acriores vero purgantium stimulos tenerum  
 infantis corpusculum sine convulsionum periculo haud  
 sustinere, vix opus est, ut moneam. Adhibentur adhuc  
 a quibusdam ad eundem scopum suppositoria, ex sebo  
 candelarum, melle cocto, vel saponè veneto parata,

*a)* Vid. SPIELMANN *mat. med.* pag. 131.

*b)* l. c. §. 1347. pag. 661.

præfertim, si nullos nixus aut exiguos tantum ad depouendam alvum faciat infans, aut clysmata absque discrimine administrari nequeant. Quam parum autem conveniant olea blanda, quæ vulgus maxime adhibere consuevit ad corpus a meconio liberandum, rationali indicatione ductus videt facile: equidem hæc olea acre quodammodo involvendo ad aliquod tempus dolores mitigant, at cum tenacitatem facis nec minuunt, nec actionem canalis intestinalis adaugent, quin imminuunt potius, sic facem morantur & ipsa demum ob moram rancida facta pessimam acrimoniam induunt, ut ita novo suo irritamento lædere possint; hinc sane subscribi meretur celeb. TISSOT, qui ab exhibitis oleis unguinosis tormina ventris brevi sedata, paulo post autem frequentius & acerbius recruduisse observavit c).

§. XVI.

Plurimum porro profutura esse remedia absorbentia ad acidam acrimoniam a causis supra allatis productam, facile perspicitur; dummodo caute, habitoque ad tenellam ætatem respectu propinentur, ne gravatis exinde primis viis in pejus vertatur malum, novæque prioribus accumulentur molestiæ. Monendum igitur videtur, ne indiscriminatim adhibeas, simulque absorbentibus, aliud mite purgans, velut rheum marites, ut leni ejus stimulo terræ acidum absorptæ canalem intestinale eo celerius emetiantur. Inter hæc autem præstat utique magnesia d), quæ, præterquam quod in acido compescendo suam exferat efficaciam, æque alvum reddat faciliorem, facilique negotio cum idoneo quovis syrupo ingeri possit: concreta vero per acidum caseosa, viscida

c) l. c. p. 347.

d) ROSEN VON ROSENSTEIN l. c. pag. 42.

ſaburra a pultibus nata, abdominis hinc inde atque ventriculi tenſio aliam adhuc procreant indicationem, talia jubens combinare prioribus remedia, quæ eadem ſic valeant ſolvere, ut haud difficulter per inteſtinorum anfractus transire queant: quem in finem laudantur præcipue bilis, vel ex anguilla piſce deſumta, vel bubula leni igne inſpiſſata, cui parum croci admiſcere expedit; tum ovi vitellus & ſapo venetus, ut quorum effectus in frangenda reſinarum etiam tenacitate, in effectu, quem præſtant, exoptatiſſimo, plurimis aliis ſubſtantiis negato, virtute ſua attenuante, detergente, reſolvente. Vomitum, cum morbus ipſe ſæpe ſponte creet, haud exiguo nonnunquam tenellorum levamine, imo congruum maxime videatur, viſcidas, caſeoſas partes, ventriculum onerantes ac diſtendentes, proximam hinc atque faciliorẽ viam legendo evocare, movere etiam lenioribus quandoque emeticis omnino proficuum eſſe arbitror.

§. XVII.

Convenit præterea doloribus valide urgentibus nonnunquam abſque mora ſuccurrere, ne ſua vehementia vires nimium deprimant, inteſtinorum inflammationem aut funeſtas producant convulſiones, malaque plurima. Temporariam talem medelam aſſerre oleum olivarum, lini, amygdalarum dulcium cum ſyrupo quodam exhibitum non negaverim, dummodo poſtea removenda eorum cauſa non oblivifcaris; leniſſima quoque ſedantia adhibenda eſſe ſuadent non raro pervalidi infantum ejuſlatus, ut non imprudenter quandoque ſyrupo ſtorum rhœados, ſyrupo diacodii, aqua dilutis e), parca doſi, viceque repetita uti tecum conſtituas, donec blanda quies ad tempus ſequatur. Multum quoque levaminis promit-

e) VAN SWIETEN §. 1351.



tit cataplasma ex ovis cum croco & oleo semicocctis  
 confectum, & subcalide ventri impositum, nec non  
 clysmata emollientia moderata, pro eo, ac par est, manu  
 administrata f). De pessima illa ac non satis contemnenda  
 consuetudine, ut plurimum plebeja, qua nutrices mer-  
 cenariae, infantum custodes, imo matres nonnunquam  
 opiata infantibus ingerunt remedia, veluti mithridatium,  
 theriacam & similia aromatica, nec non requiem Nico-  
 LAI, & ab effectu requiem puerorum dictam, philonium  
 Romanum g), compositiones praeter largam opii copiam  
 & calidissima foventes adhuc ingredientia, cum ad dolo-  
 res eorum refranandos, tum ad somnum iisdem, ac  
 quietem sibi metipsis conciliandam, queis omnibus sensus  
 quidem doloris obtunditur; ast cum hujus causa agere  
 continuet, & cum brevi exoptatum non amplius praes-  
 tent effectum, nisi dosis augeatur, ut hinc quandoque  
 ad magnam quantitatem audaces ascendant; hac de con-  
 suetudine ulterius differenda, rimandis noxis, quae in  
 infantes tum quoad praesens, quam quoad reliquum vitae  
 curriculum redundant, aliunde sufficienter motis, super-  
 sedere ratus medelae cardo permittit.

§. XVIII.

Cedente autem morbi vehementia consuli adhuc  
 fracto primarum viarum tono oportet. Protinus igitur  
 opitulandum erit medicamentis interne roborantibus,  
 veluti tinctura rhabarbari, syrupo cichorei, vel per se  
 vel huic adsociato, parca utique manu exhibitis, simili-  
 busque leni quadam virtute operantibus. Extrinsicis  
 conducere videntur fomenta, parata ex vino mixto, in  
 quo aromata, quemadmodum majorana, mentha, pule-

f) BOISSIER DE SEAUVAGE *nosok meth.* tom. II. pag. 106.

g) Aut. ante cit. l. c.

gium, rosmarinus, plura hinc vel pauciora decoctâ sunt, quibus per plures dies imo hebdomades etiam abdomen lavare expedit *b*).

Profligato tandem morbo summopere cavendum, ne infanti plus lactis simul & semel concedatur, quam cui ejus vires digerendo pares sunt; ne eodem assumto in cunis agitetur, sed in alio idoneo, excepto horizontali, situ teneatur. Pulmentis cæterum farinaceis, etiam tenuioribus, quamdiu matris vel nutricis uberibus vivit, abstinere jubeat medicus; licet congruum videatur, durante hoc tempore subinde aliud porrigere alimentum, ut eo felicius ablactari queant. Verum cum dentur plura, quibus huic satisfieri valet consilio, hinc lac vaccinum, aqua & saccharo lacti humano approximatum, pulles ex pane bis cocto, carente lentore farinoso, lactique æquabilibus uniendo paratas, imo subinde etiam juscula carniû, a pluribus magnæ fidei autoribus commendantur. Diæta vero nutricis respondeat crescenti sensim infantis robori, secundum quod cibi nimirum potusque copia dirigenda; conducet quidem semper eupepta, liquidior, aucta jusculorum copia, non nimis a priori vitæ genere, aut reliquorum hominum distans: abstineat, quantum par est, esculentis & potibus acidis vel in acescentiam pronis; sin hujus jam in corpore præsentia, aut saltem proclivitatæ suspicio sit, eam remedio absorbenti, lenique roboranti, etiam continuante ejus usu, optime sublevabis *i*); coerceat animi motus, fugiat otium, tueatur denique ac fovent animi tranquillitatem, hilaritatem.

*h*) VOGEL. l. c.

*i*) ROSEN. l. c. his confirmat: *ich entsinne mich einer Amme, welche es vor 4. Jahren 8. Monate nacheinander Morgens und Abends zu gebrauchen genæthigt war. Denn so oft sie es ein paar Tage unterliess, wurde das Kind sogleich krank, und bekam ein Reissen.* —



Argentoratenses, Med. Diss., 6  
= Straßburg  
Ferber-Eyting


ULB Halle 3  
003 714 942



VD 18







Farbkarte #13

B.I.G.

1-10  
7

ORATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
CA INFANTUM  
QUAM  
SI MEDICORUM ORDINIS  
CONSENSU  
LICENTIA  
MEDICINÆ DOCTORIS  
RITE CONSEQUENDI  
RGENTINENSIVM UNIVERSITATE  
CEMBRIS A. R. S. MDCCLXXXIII.  
EMNITER DEFENDET  
S THADÆUS EBERLE  
AUGUSTANUS.  
H. L. Q. C.

ORATI , ex Officina Heitziana.

